

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Superbia c  
cum fonte primo

Audeo dicere superbis esse utile  
cadere in aliquod  
apertum et manifestum peccatum, unde  
sibi displiceant qui iam sibi placendo  
cecidérant. Salubrius enim  
Petrus displicuit quando fleuit  
quam sibi placuit quando praesumpsit.  
Hoc dicet et sacer Psalmus: imple facies  
eorum ignominia et querent nomen  
et cetera.

Augustinus de ciuitate Dei libro XIII.

Et audeo dicere superbis esse utile  
cadere in aliquod  
apertum manifestumque peccatum, unde  
sibi displiceant, qui iam sibi placendo  
cecidérant. Salubrius enim  
Petrus sibi displicuit, quando fleuit,  
quam sibi placuit, quando praesumpsit.  
Hoc dicit et sacer psalmus: *Imple facies*  
*eorum ignominia, et quaerent nomen*  
*tuum, Domine* (Ps. 82 :17), id est, ut tu  
eis placeas quaerentibus nomen tuum,  
qui sibi placuerant, quaerendo suum.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate*  
*Dei*, 14, 13 (CCSL 48, B. Dombart ed.,  
p.436, ll.75-82).